

AMPLISSIMO  
VIRO DOMINO,  
D<sup>NO</sup>. JACOBO  
GUILIELMO  
JANSSENS

INSIGNIS ECCLESIAE COLLEGIATAE  
S. JACOBI ANTVERPIAE  
CANONICO, AC  
VICE-DECANO  
VIGILANTISSIMO,  
PROTONOTARIO APOSTOLICO, &c.



Atere, obsecro, VIR AMPLIS-  
SIME, ut hoc opusculum con-  
tinens errores à *Baio* ad hæc  
usque Tempora per Sedem A-  
postolicam profligatos tuis sub-  
auspiciis in medium prodeat. Enimverò  
quis est, cui illud aptius consecretur, quàm

\* 2

Ampli-

## D E D I C A T I O.

Amplitudini tuæ tam benè de Ecclesiâ meritæ ? nonnè Te suspexit Belgium hisce calamitosissimis, angustissimis, pene dixeram extremis temporibus strenuissimum Authoritatis Pontificiæ defensorem, vindicem, Propugnatorem ? scilicet Petri Cathedra toties Impetita omnes semper & persecutionum, & errorum fluctus in se conglomeratos elûsit. Jam dudum dixerat Augustinus lib. 1. de symbolo ad Catechumenos cap. 6. *Ecclesia (firmissimæ innixa Petræ) oppugnari potest, expugnari non potest.* Hanc Tu firmitatem quoties in te expressisti ? quoties ingentes Procellas repulisti ? stetisti sanè variis in casibus impavidus, intrepidus, immotus ipsis etiam adversariis laudem extorquens. Sed nonne & firmitatem illam sibi vendicant inconcussa D. THOMÆ dogmata ? profectò hic vir, hic est, qui omnes omnino errores & ante, & suis temporibus, & post mortem ad hæc usque Tempora exortos (*Baianos, & subsecutos* in præsentem tantùm expendimus) damnavit, prædamnavit, prædebellavit. Ad hanc rupem cunctæ sunt hætenus elisæ, & elidentur, dum stabit Ecclesia, falsitates. Tanti viri Doctrinam quàm tu præclarè imitaris ? quàm amas veritatem, quæ

## D E D I C A T I O.

quæ est Genuinus D. THOMÆ character? sed hisce terminis laus tibi debita non circumscribitur. Quid tuam memorem effusam in pauperes Liberalitatem? quot non fuere è miseriis, oppressionibus, calamitatibus, angustis, ex ipsis mortis faucibus auxiliatrice tuâ manû erepti? quid recenseam singularem in Deum pietatem, quid assiduam in divino officio præsentiam, quid admirandam in excipiendis confessionibus diligentiam; innatam modestiam, eximiam in rebus arduis prudentiam, comitatem erga omnes, affabilitatem, cæteraque virtutum ornamenta? retraho me, quis tamen subticeat nunquam labefactatam in Christianis ex Infidelium servitute eruendis (cujus *Sodalitii* provinciam sustines) constantiam? retraho me, inquam, ne videar excurrere in laudes tuas. Possem enim in medium proferre sive Generis claritatem, sive Avorum res gestas togâ, sagôque maximas. Sed hisce omnibus supersedeo. Virtutem præfers Majorum titulis memor illius.

*Et Genus, & Proavos, & quæ non fecimus ipsi,  
Vix ea nostra puto* ———

Suscipe

# DEDICTIO.

Suscipe igitur hoc opusculum sponte  
suâ in patrocini tui sinum convolans ,  
meque egregiâ , quâ omnes soles , benevo-  
lentiâ complecti non dedignare. Itâ ex  
animo precatur , & seipsum Amplitudinî  
tuæ dedicat , consecrat , ac devovet ;

AMPLISSIME DOMINE ,

Vestræ Amplitudinis Humil-  
limus , ac Observantissimus  
famulus F. FRANCISCUS  
VAN RANST Ord. Præd.

PRÆ-